

bitæ longæ, Melonis, Cucumeris, & Anguriæ, Dul-
laba à Serap. hæc appellatur. Minora verò, Lactu-
cæ, Portulacæ, Scariolæ, & Endiuia.

De Fructibus. Cap. VII.

FRUCTVS non pauci inter semina lo-
cantur, cùm partem illam in sinu ser-
uent, quam semen vocamus: attamen
ab illis re vera differunt, cùm fructus
ex carne, & semine constent, vt Theophr. placet
lib. 1. de Histor. Plant. c. 4. & interdum eorum semi-
na substantia quadam ossea custodiantur. Omnes
partes illorum diligentissimè in medium attulit A-
ristot. lib. 1. de Plant. c. 2. quæ tamen non omnes fru-
ctus exornant, ita: *Fructus quidam ex multis partibus,*
& alij ex paucis, vt Olinæ; istæ enim corticē habent,
carnem, testam, & semen; sed inter has caro solūm,
si vt fructus considerentur, à Pharmacopœis, & à
Medicis in vsu habetur; quoniam interior illa pars,
semen ab omnibus nuncupatur. Fructus illi proban-
tur, qui multa carnea portione sunt insigniti. Quod
respiciens Gal. hæc pronunciauit, lib. de bono, &
vitioso succo c. 5. *Meliores, qui intumescunt; siccitatem*
enim & duritiem exuunt, et mollitiem, & humiditatem ac-
quirunt. quos fortè sic tumidos appellauit vegetos,
lib. 1. de Antid. Tales autem à me reputantur, qui
optimè concocti sunt; hi enim & magnitudine de-
centi, & odore, & sapore accommodato sunt præ-
diti. Incocti verò, Arist. teste lib. 2. de Plant. c. 1.
ad

ad amaritudinem tendunt, vel ad aciditatem, vel ad austeritatem. & ideo Gal. lib. 2. de Alim. facult. affirmavit, meliores esse maturos immaturis; *nam à calore transmutati dulces fiunt*: nisi Medicus eorum qualitatem adstringentem exoptet. Cum sunt maturi, iubente Dioscor. in procemio, excutiantur. Exsiccentur sub Sole, & sæpe reuoluantur, & confundantur; at si tempus nubilum sit, ignis calore super craticulam ex lignis constructam siccandi erunt. Hos duos exsiccandi modos nos docet Albuc. dum de Colocynthide agit. Sunt omnes fructus, si possibile est, à nucleis expurgandi, & à tuniculis mundandi, prius tamen panno aspero diligenter detergentur. Nucleos educendos esse, de Prunis præcipit Auic. lib. 5. Ser. de Antidot. sic & à Dactylis, vt Haly 10. Pract. Hoc etiam obseruatur in omni genere Myrobalanorum, si credendum est Mes. Auic. Haly, & Ser. qui postea oleo rosaceo, aut amygdalino sunt illinendi, sicut illi decernunt. At si non possumus illos euellere, cultri varijs ictibus plagentur, aut varias in partes diuidantur. Semper in descriptionibus sumatur pondus fructuum nucleis priuatorum; maximum est enim discrimen inter illos, qui nucleis sunt onutti, & illos, qui priuati; nam Myrobalani vt plurimùm citrini sexaginta pendunt vncias septem cum dimidia, & nucleis priuati tantum vnc. iij s. Chebuli sexaginta vncias xiiij. mundati nouem. Pruna centum enucleata vncias decem circiter pendent. Fructus interdum decoquuntur, vt solum eorum facultas liquori communi-

municetur; non rarò, ut eorum caro, aut pulpa per cribrum traijciatur. Exemplo sint nobis Dactyli, qui postquam aceto macerati fuerint, per cribrum transmittendos esse imperarunt Haly loco citato cap. 15. & Ser. c. 16. Inter fructus enumerari Vuam nemini est obscurum, & ideo & ab ipsa, quotiescūque occasio postulabit, acini remouendi erunt. Iubent omnes Arabes ab Vua passa semper acinos auferendos esse: à quorum dictis elicere possumus apud ipsos in usu non fuisse Vuam passam illam, quæ acinis priuata nascitur, cuius maxima copia à Hyacintho ad nos defertur, sed grandem illis præditam; cuius meminit Gal. 2. de Alim. facul. c. 10. sic: *Inter passas præstantiores pingues existunt, corticem tenuem habentes; nonnulli autem, & rectè sanè, è dulcibus, grandibusq. (quales sunt Scybelitides) priusquàm mandant; semina eximunt, eas coguntur in aqua macerare; nam semen facilius sic educitur.* Nec Dioscor. cap. proprio mentionem aliquam fecit de illa acinorum experte, semper enim de ipsis verba habet, interdum vtens illa cum acinis & interdum illis priuata. Gal. verò vtramque commemorauit. Longiorem sustinent decoctionem, quàm herbæ, nisi à Medico tantum desideretur illa qualitas, quæ in superficie residet.

Vua ab acinis mundanda.

Error circa Vuam passam.

Error aliquorum.

De Lignis, et Corticibus. Cap. VIII.

NON rarò & Ligna, & Cortices ad vitæ vsum necessaria exultimantur, quæ interdum à stipite, aliquando à ramis, & quandoque à radice desumun-

C

sumun-